# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

**[Reichenau ?], [14. Jh.]**

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

duam. castitatis exemplum. et
triumphali laude pretulis eam pro
nis declarate. Hanc enim non solum
feminis. sed et viris imitabile dedit
qui castitatis eius remunerator uir-
tutem talem tribuit. ut inuictam
omnibus hominibus uinceret. et insupabi-
lem superaret. Explicit prologus. In-
cipit liber Judith.

Arphaxat
itaque rex
medorum
subiuga
uerat
multas
gentes
imperio
suo. et ipse edificauit ciuitatem po-
tentissimam quam appellauit egbata-
nis. ex lapidibus quadratis et sectis
fecit muros eius. in altitudine cubi-
torum lxx. et in latitudine cubitorum
xxx. Turres uero eius posuit in altitu-
dine cubitorum c. Per quadrum uero eorum
latus utrumque uicenorum pedum spa-
tio tendebatur. Posuitque portas
eius in altitudine turrium. Et gloriabatur
quasi potens in potentia exercitus sui
et in gloria quadrigarum suarum. Anno igitur
duodecimo regni sui. nabuchodonosor
rex assyriorum qui regnabat in ni-
niue ciuitate magna. pugnauit
contra arphaxat. et optinuit eum in campo
magno qui appellatur ragau circa
eufraten et tygrim. et iadasan in
campo erioch regis elicorum. Tunc ex-
altatum est regnum nabuchodonosor. et cor
eius eleuatum est. Et misit ad omnes qui
habitabant in cilicia et damasco et

lybano. et ad gentes que sunt in carmelo et
cedar. et inhabitantes galileam. et in
campo magno hesdrelon. et ad omnes
qui erant in samaria. et trans flumen
iordanen usque ierusalem. et omnem ter-
ram iesse. quousque perueniatur ad mon-
tes ethyopie. Ad hos omnes misit
nuntios nabuchodonosor rex assyriorum.
Qui omnes uno animo contradixerunt.
et remiserunt eos uacuos. ac sine
honore abiecerunt. Tunc indignatus
nabuchodonosor rex. aduersus omnem ter-
ram illam. et iurauit per regnum et
thronum suum. quod defenderet se de
omnibus regionibus his. II

Anno tertiodecimo nabuchodonosor
regis. uicesima et secunda die
mensis primi. factum est uerbum in do-
mo nabuchodonosor regis assyrio-
rum. ut defenderet se. Vocauitque
omnes maiores natu. omnesque
duces et bellatores suos. et habuit cum
eis mysterium consilii sui. Dixitque
cogitationem suam in eo esse. ut om-
nem terram suo subiugaret imperio. Quod
dictum cum placuisset omnibus. uoca-
uit nabuchodonosor rex holofernem prin-
cipem militie sue. et dixit ei. Egre-
dere aduersum omne regnum occidentis.
et contra eos precipue qui contempserunt
imperium meum. Non parcet oculus tu-
us ulli regno. omnemque urbem muni-
tam subiugabis mihi. Tunc holofer-
nes uocauit duces et magistratus
uirtutis assyriorum. et dinumerauit
uiros in expeditionem sicut precepit ei
rex. c. xx. milia peditum pugnatorum.
et equites sagittarios xii. milia.
Omnemque expeditionem suam fecit